Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

cum Christo glorificatur benigne aspiciat. et diuinam nobis cle-
mentiam placare non desinat.

Passio sancti Albani martyris

Post quam eterni patris unige-
nitus et uerbum dei ad reparatio-
nem nostram inclinauit celos et
descendit et se ipsum nostre redemp-
tionis sacrificium offerens in lig-
no pependit. morteque sua des-
tructo eo qui habebat mortis imperium
resurgens ad consessum paterne maiestatis
gloria et honore coronatus ascendit beati apostoli pri-
mitie electionis baptizati spiritu sancto et igni mundum
idolatrie spinis horrentem uomere predicationis
aggressi sunt. ac diuini semen uerbi super rationalem terram
usque quaque sparserunt. Ex qua felicissima satione
fecundante spiritu sancto fidelium seges animarum emersit.
et diuina propagante gratia mundi terminos exuberante im-
Hec est glo sa uirgo mater ecclesia quam   pleuit.
ex omni gente et natione in unitate religionis
colligit. unus dominus. una fides. unum baptisma.
Hec in uestitu deaurato assistens a dextris regis. ful-
get circumdata uarietate decoris. Rutilat enim rosis
martyrum purgata uirginitatis liliis candidata splendi-
dissimo uirtutum lapidum stemmate coronata. Hec est illa
que ascendit per desertum sicut aurora consurgens pul-
chra ut luna electa ut sol. terribilis ut castrorum acies or-
dinata. Denique ex his castris euangelice predicationis clan-
gente tuba processerunt signiferi. Christiane militie uictorio-
si milites qui laudabili constantia felici patientia. remu-
nerabili perseuerantia usque ad sanguinem restiterunt aduersus di-
abolum. eiusque antichristos repugnantes quorum fortitudo
quia usque in finem agonizans perstitit. coronam uictorie
cum gloria promeruit. non enim coronabitur nisi qui legitime
certauerit. Inter hos constantissimus Christi athleta et martyr
Albanus fidei fortitudine armatus martyrii palma triumpha-
liter est glorificatus. Huic itaque uiuere Christus erat et mori lucrum
quia mens in omnibus deo dicata. quicquid in consummande
uirtutis exercicio patiebatur non erat ei pena sed gloria.

Hic denique primo currentis etatis tyrocinio sub
beato Theonesto sacris litteris eruditus discus-
sa mundi nube in lucem scientie spiritualis emersit.
et tanto fouente uiro in nido fidei plumescens. gemi-
nas caritatis alas quibus in dilectione dei et proximi celum
peteret enutriuit. Siquidem ipse beatus presul Theone-
stus apud Phylippis Macedonie urbem in kathedra pon-
tificali presidebat. in qua patribus ab apostolo Paulo ordina-
tis fidei ueritate et morum grauitate successerat. Qui cum
fecundissimam spiritualium filiorum sobolem Christo domino educa-
ret. et in cunabulis fidei lacte simplicitatis usque ad
solidum cibum. uite perfectioris enutriret memorabilis
Albanus inter scolares huius discipline alas uirtutum
profectibus eminebat. et ea que retro sunt obliuiscens. ad
ea uero que ante sunt se ipsum extendens ad brauium superne
uocationis. deuota mente currebat.

Verum mirabilis deus in sanctis suis. qui electos
suos Theonestum et Albanum sociauit in unita-
tem fidei et caritatis. et quibus mentis oculos diui-
ne lucis splendor illuminat eos artam uiam manda-
torum dei dilatato corde. currentes ad uitam que Christus est.
eadem fides spesque ducebat. Erat enim illis cor u-
num et anima una. par in fide ueritas. et in opere sinceri-
tas. eadem in aduersis constantia. et in tribulatione
patientia. similis obedientia in labore. et perseueran-
tia in agone.

Venerabilis itaque Albanus beati magistri
uitam imitatus ornamentis morum claruit
et bonis actibus domino complacuit. Mortificans
enim se ipsum uiciis ibat de uirtute in uirtutem ascen-
siones in corde suo disponens in ualle lacrimarum
quibus per angustam uiam ad uitam gradiens pertingeret
ad uidendum deum deorum in Syon. Capax namque diui-
dendum deum deorum in sancto templo corporis eius. infrontuos
carnis impetus mentis legibus edomabat. et prurien-
tes mundi illecebras robusto sanctimonie et castita-
tis tenore calcabat.

Superabat ambitionem seculi. quia nichil perniciosius
cum inquirendi immoderatus ardor incanduit
et misericordiam omnibus impendit. quam dominus in euangelio etiam sa-
crificiis pretulit. Exhibebat autem se cunctis tam amabi-
lem dulcissimum in lenitate sermonis. mitissimum in
mansuetudine conuersationis. Tantum enim celestis
gratie fauor eum perfuderat. ut a suis [illegible] immo
ab omnibus diligi. ac timeri mereretur. quia uultu et ha-
bitu adeo modestus erat. ut nec tristis ei inesset se-
ueritas. nec remissa hilaritas nec habitum eius aut in-
flarat superbia. aut penuria sordiduerat. nec ei ad
superfluum erat profusa liberalitas. nec ad iactantiam
ostentaliter affectata frugalitas

In uigiliis pernoctans corde et ore celo inserebatur.
aut orando cum domino loquebatur. aut sacris lecti-
onibus uacans dominum sibi loqui meditabatur. Hau